

1270, desembre, 23

Berenguer Mir, de Sant Gregori, la seva mare Adelaida i els seus fills Berenguer i Ramon, venen a Berenguer de la Serra, del mateix lloc, una feixa que tenen per Sant Daniel a Sant Gregori, indret dels Clapers, pel preu de 145 sous.

ASD núm. 210, perg. orig., 315 x 230 mm.

Sit notum cunctis quod nos Berengarius Mir, parrochie de Sancto Gregorio et eius mater Adalaydis et nos Berengarius et Raimundus, filii dicti Berengarii Mir, per nos et per omnes nostros presentes et futuros, gratis ac spontanea uoluntate uendimus et tradimus tibi Beregario de ipsa Serra de eodem laco et tuis et cui uel quibus dare, dimitere, uendere uel quolibet alio modo alienare uolueris in perpetuum, totam illam nostram fexiam terre integre quam habemus et tenemus pro monasterio Sancti Danielis in plano et parochia Sancti Gregorii, in loco uocato des Clapers. Affrontat autem dicta feixia ab oriente in torrente de Guareb, a meridie in tuo honore, ab accidente in reguo qui ibi est, a circio in honore Captiuorum. Predictam siquidem fexiam terre integre, cum ingressibus et exitibus, pertinentiis et tenedonibus et cum . melioramentis et augmentis ibi factis et de cetero faciendis et cum omni sua proprietate et integritate, et cum omnibus aliis in se habentibus sibique qualicumque modo pertinentibus, prout melius potest dici et intelligi ad tuum comodum et tuorum, sic predictam fexiam tibi et tuis perpetuo uendimus et tradimus precio centum quadraginta et quinque solidorum barchinonensium monete de terna, quos confitemur a te recepisse et penes nos habuisse, inter precium huius uendicionis et tercium domini et inter ius baiuli, a quo domino et baiulo promittimus tibi facere firmari hoc presens instrumentum sine tua missione, super quibus denariis renunciamus exceptioni peccunie non numerate. Et si hec uenditio amplius ualet uel de cetero plus ualebit precio antedicto, totum gratis et ex certa sciencia tibi et tuis damus donatione inter uiuos, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi succurritur et omni exceptioni doli et metus, et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alii iuri pro nobis facienti. Et ideo omnia predicta de nostra nostrorumque iure, passe et dominio eycimus penitus et extrahimus, eadem in tuum et quibus uolueris ius, passe et dominium libere et quiete penitus transferendo, Ínitendo inde te in presenti cum hoc presenti publico instrumento in corporalem et uacuum horum omnium possessionem ad omnes tuas uoluntates et tuorum perpetuo faciendas, saluo iure dicti monasterii in omnibus, cui dabis tu et tui de expletis panis et uini unam tascham et baiulo braciaticum, et preterea dabis tu et tui nobis et nostris annuatim pro censu in festo Natalis Domini duos denarios barchinonenses cuiuscumque monete cucurrerit in Gerunda tempore solutionis ad auxilium census mansi nostri faciendi. Et sic promittimus tibi et tuis omnia predicta semper facere habere et tenere in pace contra cunctam personam uiuentem. Uerumtamen, si aliquis ibi aliquid tibi et tuis tetigerit, contradixerit, emparauerit, forisfecerit, demandauerit siue aliquam questionem uel demandam contra te uel tuos fecerit siue müuerit, nos ante ingressum litis statim promittimus nos ante te et tuos ponere et honus et litem super nos et nostros recipere et totam causam ad efectum [ducere a principio] usque in finem, et inde te et tuos indempnes seruare in curia et

extra curiam, in placito et extra placitum, [in iudicio et extra iudicium cum] nostris propriis missionibus et expensis, et credamini inde tu et tui uestro plano uerbo, sine sacramento et [testium productione. Et] nos Berengarius et Raimundus, fratres antedicti renunciamus iuri minoris etatis, et nos omnes predicti uenditores obliga[mus tibi] et tuis de euiccione et omni interesse quisque nostrum pro toto, renunciantes beneficio diuidende actionis, omnia nostra bona mobilia et immobilia et semouencia ubique, et iuramus per Deum et eius sancta .un.or Euangelia corporaliter tacta omnia predicta semper bona et firma habere, attendere et complere et obseruare et numquam contrauenire uel reuocare iure aliquo siue causa. Rursus ego Adalaydis predicta renuncio Uelleyano senatus consulto et. 1

Actum est hoc .x. kalendas ianuarii anno Domini .MCCLXX.

Sig+num Berengarii Mir, qui hoc firmo predicta die et anno, presentibus F. de Prato de Sancto Gregorio et Laurencio de ipsa Serra, de eodem loco. Sig+num Adalaydis, matris dicti Berengarii Mir predictae, que hoc firmo kalendis ianuarii anno predicto, presentibus dicto Ferrario de Prato et Guilielmo Carbonelli de Pariete Rufino. Sig+num Berengarii, sig+num Raimundi, fratrum predictorum, qui hoc firmamus .xvn. kalendas ianuarii anno predicto, presentibus Guilielmo Petri. de Cruce, Sancte Marie de Ginestario et dicto Ferraria de Prato. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa*.

Sig+num Guilielmi de Seguelars de Sancto Gregorio, baiuli qui hec omnia supradicta firmo et concedo. Sig(s. man.) num Raimundi Strucii, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerimde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

1. Llacuna per forat.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 442-444